



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum vir teneatur reddere debitum vxori non petenti? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

*Vtrum vir teneatur debitum reddere vxori  
non petenti?*

264

**A**d secundum sic proceditur. Videtur, quod vir non teneatur debitum reddere vxori non petenti. Praeceptum enim affirmando non obligat nisi ad tempus determinatum. Sed tempus determinatum solutionis debiti non potest esse, nisi quando petitur. Ergo alias soluere non tenetur.

¶ 2 Præterea, De quolibet debenuis præsumere meliora. Sed melius est, etiam coniugibus continere, quam matrimonio vti. Ergo nisi expresse debitum petat, debet vir præsumere quod ei placeat continere: & sic non tenetur debitum ei reddere.

¶ 3 Præterea, Sicut vxor habet potestatem in virum, ita dominus in seruum. Sed seruus non tenetur domino seruire, nisi quando sibi ab ipso imperatur. Ergo nec vir tenetur vxori reddere debitum, nisi quando ab ea exigitur.

¶ 4 Præterea, Vir potest aliquando vxorem exigentem precibus auertere, ne exigit. Ergo nullo magis potest non reddere, si non exigit \*.

**S**E D contra, In redditione debiti medicamentum præstatur contra vxoris concupiscentiam. Sed medicus cui infirmus est commissus, tenetur morbo eius subuenire, etiam si ipse non petat. Ergo vir vxori non petenti tenetur debitum reddere.

¶ Præterea, Prælatus tenetur correctionis rendum circa peccata subditorum adhibere, etiam ei contradicentibus. Sed redditio debiti est in viro ordinata contra peccata vxoris. Ergo tenetur vir vxori debitum reddere, etiam non petenti.

**R**ESONDEO dicendum, quod petere debitum contingit dupliciter. Vno modo expresse, ut quando verbis inuicem perunt. Alio modo interpretari; quando scilicet vir percipit per aliqua signa, quod vxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet: & ita etiam si verbis non expresse

\**Al. exi-  
gatur.*

presse debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando aliqua signa in vxore apparent voluntatis reddendi debiti.

Ad primum ergo dicendum, quod tempus determinatum non est solum, quando peritur; sed quando timetur ex aliquibus signis periculum (ad quod vitandum ordinatur debiti redditio) nisi tunc redatur.

Ad secundum dicendum, quod vir potest talem presumptionem habere de vxore, quando in ea contraria signa non videt: sed quando videt, esset stulta presumptione.

Ad tertium dicendum, quod dominus non ita reverendatur a seruo petere debitum seruitutis, sicut vxor a viro, debitum coniugij. Si tamen dominus non peteret, vel propter ignorantiam vel alia de causa, nihilominus seruus teneretur implere debitum si periculum immineret: hoc enim est non ad oculum seruire, quod Apostolus seruis mandat \*.

*Ad Eph.  
6. & Co-  
los. 3.*

Ad quartum dicendum, quod non deberet vir uxori auertere, ne petat debitum, nisi propter aliquam rationabilem causam: & tunc etiam non debet cum magna instantia auerti, propter pericula imminentia.

## ARTIC. III.

*Vtrum vir & mulier sint in actu matrimoniali aequales?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod vir & mulier non sint in actu matrimonij aequales. Agens enim est nobilis patiente, ut Augustinus \* dicit 12. super Gen. ad litteram. Sed in actu coniugali vir se habet ut agens, & feminam ut patiens. Ergo non sunt in actu illo aequales.

*265  
Tho 4 d.  
32. art. 3.  
C. seq.  
\* 1. 12. c.  
16. 10. 3.*

¶ 2. Præterea, Vxor non tenetur viro debitum reddere nisi petat: vir autem tenetur, ut dictum est \*. Ergo non sunt pares in actu matrimonij.

*Art 1. C.  
2. huius  
quesit.*

¶ 3. Præterea, In matrimonio mulier propter virum facta est, ut patet Gen. 2. Faciamus ei adiutorium

*sorium*